



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

7. De impetracione incorporacionis contra voluntatem eorum, quorum intererat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

propria, ibidem tunc ad bonum tempus requievit optime, pacifice et quiete. Statim tamen post hoc cum magno apparato (sic!) et expensis multis intravit Prussiam, dudem¹⁾ ibi residendo. Sicque ex omnibus premissis rimatis²⁾ fama ipsius undique in Germania erat gloriose divulgata, et ex illis pre aliis suis coëpiscopis et electoribus venerabilior reputatus.

Omnibus premissis ad finem bonum deductis et 7. optime complanatis, preposito, decano et capitulo ecclesie Paderbornensis cum reverendissimo in Christo patre, domino Theoderico, archiepiscopo Coloniensi, ecclesie Paderbornensis administratore, eorum tunc vero domino, quietissime viventibus, sperabatur ab eodem, sue ecclesie Paderbornensis profectum, augmentum, pacem et divicias consequi, et eandem ecclesiam per eum augmentari, dampna passa et expensas erga predictum habunde passas recuperare, prout talia sue receptionis tempore ad tutelam et administrationem fertur taliter plurimum spondidisse, et plures dominorum de capitulo ab eodem presentialiter audivisse. Nescitur tamen, quo spiritu tunc ducebatur, immo verius seducebatur. Ipse sub annis domini M^oCCCCXXX sine collegii cardinalium, imperatoris 1430 Sigismundi, archiepiscopi et sui capituli Moguntini et sine capituli, vasallorum, civitatum et opidorum ecclesie Paderbornensis situ,³⁾ consensione et voluntate a Beatissimo domino Martino, papa quinto, clam et oculte camera-liter⁴⁾ fecit et impetravit, ecclesiam Paderbornensem sue ecclesie Coloniensi uniri et incorporari, licet de omnium premissorum preiudicio agebatur, sic quod voluntas

¹⁾ Schreibfehler statt dudum = eine Zeit lang.

²⁾ Erforschungszug, Kriegszug.

³⁾ für scitu. ⁴⁾ Auf Schleichwegen.

et consensus eorundem merito fuisset requirendus et optentus.¹⁾ Hec faciens, exequens et ordinans in maximum dicte Paderbornensis ecclesie preiudicium, dampnum et gravamen, omni libertate, privilegiis et dignitatibus eandem ecclesiam denudando,²⁾ literas, promissiones, sigilla dominis de capitulo concessas ac data minime formidando.²⁾ Ex quibus inter eundem dominum et suum capitulum Paderbornense maxima dissensio causabatur et inceptit; sic quod dominus prepositus, decanus et capitulum predicti omnes pro tunc dicte ecclesie canonicos fecerunt sub prestito iuramento obedientie, et sicut bonum ecclesie diligenter, ad certum terminum tunc expressum ad civitatem Paderbornensem et locum capitularem eapropter convocare. Convocabantur tunc isti canonici ecclesie antedicte: Venerabilis dominus Alradus de Busche, prepositus, Henricus de Haxthusen, utriusque iuris doctor, decanus, Otto Spiegel senior, prepositus Huxariensis, Rodolffus de Wintzingero, camerarius, Albertus de Haxthusen, prepositus sanctorum Petri et Andree, Henricus de Driborg, archidiaconus sedis Stenheim, Johannes de Driborg, pastor in Brakele, Theodericus Lappe, archidiaconus sedis Huxariensis, Lodowicus de Rostorpe, cantor, Hermanus de Oyehusen, thesaurarius, Stephanus de Malsborg, archidiaconus sedis Horhusen, Wernherus Crevet, Otto de Twiste, Hermanus de Rekelinhusen, Lubbertus Westphal, Theodericus de Engelsheym, scolasticus, Raveno de Papenheym, Henricus Velsteyn, Johannes de Imadishusen, Bernhardus de Asseburg,

¹⁾ Der ursprüngliche Text „requisitus“ ist in „requirendus“ geändert, demnach wird auch für „optentus obtinendus“ zu lesen sein.

²⁾ Im Eifer der Erzählung wendet der Auctor wiederum die Gerundivform statt des tempus finitum „denudavit, formidavit“ an.

Ffredericus Freysiken, Bernhardus Stapel, Conradus de Elmerinchusen et Engelhardus Jode, capitulum Paderbornense representantes, de nobilium et militarium genere procreati. Qui cum ad statutum eis terminum simul capitulariter convenerunt, et res ipsa ipsis secrete notificata et exposita erat, ipsi omnes simul nullo contradicente se illis, domino Coloniensi, impetracioni, incorporacioni et unioni unanimiter nullo excepto opposuerunt, spondentes, nullo tempore eos velle talibus manifeste vel occulte, quocunque colore quesito, in toto vel in parte scienter consentire, sed pro totis viribus illis resistere, eis obviare et contradicere usque ad eorum corporis et anime separationem et sanguinis effusionem. Et si ipsorum habitacionibus et beneficiis propterea privarentur et a civitate et diocesi Paderbornensi expellerentur, minime illa verentes,¹⁾ pre oculis habentes, sed fortissime et constantes in premissis sine formidine pro tunc et semper permanentes,¹⁾ si etiam soli sine ecclesiasticorum et secularium iuvamine causam istam deberent defensare, et sue ecclesie subditi ipsis in toto vel in parte repugnarent, domino predicto complacerent et in talem incorporationem et unionem, ut memoratur, factam occulte vel expresse quovismodo consentirent.

Dominis prenominatis capitulariter et unanimiter 8. concordatis, tunc sine intervallo abbates, prepositos, decanos, prelatos, plebanos, beneficiatos, nobiles, milites, militares vasallos, ministeriales, proconsules, consules et communitatum oratores sue ecclesie et diocesis fecerunt ad se ad civitatem Paderbornensem convocare. Qui cum ibidem secum in loco capitulari constituerentur,

¹⁾ Die Satz-Construction fordert vereri und permanere.